

Codex Calixtinus : Translation (Livre III) : Incipit (Ia) (Xacobeo) 📖

[f. 155v PDF](#)

INCIPIIT LIBER TERCIVS SANCTI IACOBI

Capitulum I. Translatio Magna sancti Iacobi. *Post Salvatoris nostri passionem ...*

Capitulum II. Epistola beati Leonis pape. [f. 156r PDF](#) *Noscat fraternitas vestra dilectissimi...*

Capitulum III. De tribus festivitibus sancti Iacobi et de processione Adefonsi regis *Beatus Lucas evangelista*

...
Capitulum IIII. De tubis sancti Iacobi. *Traditur quod ubicumque...*

INCIPIIT PROLOGVS BEATI CALIXTI PAPE SUPER TRANSLATIONEM BEATI IACOBI MAIOREM

Hanc beati Iacobi translationem a nostro codice excludere nolui, cum tanta prodigia et trophea ad decus Domini nostri Ihesu Christi et apostoli in ea scribantur, que etiam minime ab epistola discordat, que beati Leonis nomine intitulatur. Sed sciendum quia beatus Iacobus plures discipulos sed duodecim speciales habuit. Tres in Iherosolimitanis horis elegisse legitur, quorum Ermogenes presul effectus, et Filetus archidiaconus post eius passionem apud Antiochiam, multis miraculis decorati, sacra vita in Domino quieverunt, et beatus Iosias Herodis dapifer una cum apostolo martirio extitit laureatus. Novem vero in Gallecia dum adhuc viveret apostolus elegisse

dicitur, quorum septem, aliis duobus in Gallecia predicandi causa remanentibus, cum eo Iherosolimis perrexerunt, eiusque corpus post passionem per mare ad Galleciam deportaverunt, de quibus beatus Iheronimus in martirologio suo, sicut didicit a beato Cromatio, scripsit, quod sepulto in Gallecia beati Iacobi corpore, ab apostolis Petro et Paulo infulis episcopalibus apud Romam ordinantur, et ad predicandum Dei verbum ad Yspanias adhuc gentili errore implicatas diriguntur. Tandem vero predicatione sua inenarrabilibus gentibus illustratis, Torquatus Acci, Tissephons Vergu, Secundus Abula, Endalecius Urçi, Cecilius Heliberri, Esicius Carcese, Eufrasius Eliturgi, scilicet Idus Maii quieverunt. Extat optimum miraculum usque hodie in testimonio precise mortis eorum. Nam, ut inquit, in prefata sollempnitate eorum vigilia scilicet apud Accintinam urbem ad sepulcrum sancti Torquati retro ecclesiam annuatim arbor

[f. 156v PDFv](#) olive divinitus florens maturis fructibus honestatur, e quibus oleum ilico agitur, unde lampades ante eius altare venerandum accenduntur. Alii vero duo discipuli, Athanasius scilicet et Theodorus, ut in ipsa beati Leonis epistola scribitur, iuxta apostolicum corpus, unus ad dexteram et alius ad levam sepeliuntur. Nec cuiquam debet videri quod Athanasius sit Esicius, cum alter sit Esicius et alter Athanasius.

Sed quid de libello huius translationis circa quendam beati Iacobi peregrinum nostris temporibus accidit, nobis est dicendum. Clericus quidam michi notus, sancti Iacobi amator et peregrinus, hanc translationem cum quibusdam aliis apostoli miraculis, volens secum ad patriam suam deferre, cuidam Fredemando scriptori in urbe eiusdem apostoli scribere fecit, et viginti rothomagenses in precium impertiit. Qui cum libellum dato precio acciperet, et in apostolica baselica angulo quodam secrete solus legeret, super gremium suum tot nummos quot scriptori dederat repperit, quos a nullo mortali sed ab apostolo divinitus imposuisse credidit. Quapropter beatus apostolus largissimus remunerator esse creditur donis celestibus, qui tam cito servum suum terrenis remuneravit muneribus.

EXPLICIT PROLOGVS
